

- 8. De cetero fratres, quacumque sunt vera, quacumque pudica, quacumque iusta, quacumque sancta, quacumque amabilia, quacumque bonae famae, siqua virtus, siqua laus disciplinae, haec cogitate.
- 9. Quae & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, haec agite: & Deus pacis erit vobiscum.
- 10. Gavissus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando resloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis: occupati autem eratis.
- 11. Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.
- 12. Scio & humiliari, scio & abundare: (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati.
- 13. omnia possum in eo, qui me confortat.
- 14. Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meae.
- 15. Scitis autem & vos Philippenses,

- quod in principio Evangelij, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli:
- 16. quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis.
- 17. Non quia quero datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.
- 18. Habeo autem omnia, & abundo: replētus sum, acceptis ab Epaphrodito quae misistis odorem suavitatis, \* hostiam \* Rom. 12. acceptam, placentem Deo.
- 19. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas in gloria in Christo Iesu.
- 20. Deo autem & Patri nostro gloria in saecula saeculorum: Amen.
- 21. Salutate omnem sanctum in Christo Iesu.
- 22. Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt.
- 23. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.



EPISTOLA  
B. PAULI APOSTOLI  
AD COLOSSENSES.

**E**ADEM, cum duabus precedentibus anno a morte Christi 29. Era nostra 62. & ex eodem carcere conscripta, ac per Tychicum, & Onesimum (ut habent Graeca, Syria & Latina Complutensis in fine Epistola,) Colossas transmissa. Quae civitas non eadem est atque Rhodus, quam a Colosso Solis sic dictam putant Suidas, Eusebius & alii: Sed Phrigia, ab Hierapoli & Laodicea, quarum in hac Epistola meminit, haud procul distat, ut docent Herodorus, Strabo, Plinius, aliique. Instruiti autem erant Colossenses per Epaphorum Apostoli discipulum, sed post acceptum Evangelium a quibusdam quorum studium erat sinceritatem Apostolica doctrina corrumpere (Simonianos fuisse credere par est) persuasi sunt accessum se habere ad Deum, non per Filium, sed per Angelos. Accedebant observationes ac superstitiones Iudaicae, ab Evangelio prorsus dissentanea. Primum igitur docet Apostolus non nisi per Christum Dei Filium, per quem omnia condita sunt, nos instaurari ac reconciliari Deo, Iudaicas autem & Philosophicas observationes penitus aspernandas. Atque id agit cap. 1. & 2. Reliqua pars Epistola fere in tradendis Christiana vitae praeceptis versatur. Est autem hac Epistola valde huic similis quam ad Ephesos dedit, & instar illius grandiloqua atque sublimis.

CAPUT PRIMUM.

*Fideles ut sanctos salutat, & laudat. Tum docet Christum esse perfectam Dei Patris imaginem, & mundi opificem, Redemptorem hominum.*

1. **P**aulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater:

- 2. eis, qui sunt Colossis, sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Iesu.
- 3. Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi semper pro vobis orantes:
- 4. audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem, quam habetis in sanctos omnes

5. prop-

- 5. propter spem, quae reposta est vobis in caelis: quam audistis in verbo veritatis Evangelij:
- 6. quod pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit sicut in vobis, ex ea die, qua audistis, & cognovistis gratiam Dei in veritate,
- 7. sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu,
- 8. qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu:
- 9. ideo & nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes ut impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spiritali:
- 10. ut ambulatis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei:
- 11. in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius in omni patientia, & longanimitate cum gaudio
- 12. gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem fortis sanctorum in lumine:
- 13. qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suae,
- 14. in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum:
- 15. qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae:
- 16. \* quoniam in ipso condita sunt universa in caelis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt:
- 17. & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.
- 18. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, \* qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens.
- 19. quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare:
- 20. & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt.
- 21. Et vos cum esetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis:
- 22. nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso:

- 23. si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles a spe Evangelij, quod audistis, quod praedicatum est in universa creatura, quae sub caelo est, cuius factus sum ego Paulus minister.
- 24. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia:
- 25. cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quae data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei:
- 26. mysterium, quod absconditum fuit a saeculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius,
- 27. quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti huius in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriae,
- 28. quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.
- 29. in quo & laboro, certando secundum operationem eius, quam operatur in me in virtute.

CAPUT II.

*hortatur eos ut firmi sint & stabiles in fide; omnes thesauros sapientiae & scientiae in Christo esse absconditos docet; simul eos admonet, ut ab impostoribus, & philosophis sibi caveant, & falsum Angelorum cultum vitent.*

- 1. **V**olo enim vos scire qualem solitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodicea, & quicumque non viderunt faciem meam in carne:
- 2. ut consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei Patris & Christi Iesu:
- 3. in quo sunt omnes thesauro sapientiae, & scientiae absconditi.
- 4. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.
- 5. Nam \* etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius, quae in Christo est, fidei vestrae.
- 6. Sicut ergo accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate,

Ffff

7. ra-

\* DOM. U. L. T. I. MA POST PENTEC.

\* Ioann. 1. 3. \* 1. Cor. 15. 20. Apoc. 1. 5.

\* 1. Cor. 5.

CAPUT III.

7. radicati, & superædificati in ipso, & confirmati fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione:

8. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inane fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum:

9. quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:

10. & estis in illo replati, qui est caput omnis principatus, & potestatis:

11. in quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi:

12. conscripti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.

\* Ephes. 2. 1. 13. \* Et vos cum mortui essetis in delictis, & preputio carnis vestrae, convificavit cum illo, donans vobis omnia delicta:

14. delens quod adversus nos erat chirurgographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci:

15. & expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

16. Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum:

17. quae sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.

\* Matth. 24. 4. 18. \* Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae,

19. & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei.

20. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?

21. Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis:

22. quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecipua, & doctrinas hominum:

23. quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

Ad vitam novam in Christo ducendam, ad bona opera, mutuam tolerantiam, & gratiarum actiones eos adhortatur; coniugum inter se, parentum in liberos, servorum in dominos, ac vicissim, mutua praescribit officia.

1. **I**gitur, si si consurrexistis cum Christo: quae sursum sunt quae-rite, ubi Christus est in dextera Dei sedens:

2. quae sursum sunt sapite, non quae super terram.

3. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.

4. Cum Christus apparuerit, vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.

5. Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram: \* fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quae est simulacrorum servitus: \* Ephes. 5. 3.

6. propter quae venit ira Dei super filios incredulitatis:

7. in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis.

8. \* Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. \* Rom. 6. 4. Ephes. 4. 22. Heb. 12. 1. 1. Petr. 2. 1. & 4. 2.

9. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis,

10. & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum \* imaginem eius, qui creavit illum. \* Gen. 1. 26.

11. ubi non est Gentilis, & Iudaeus, circumcisio, & preputium, Barbarus, & Scythia, servus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus.

12. \* si Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam:

13. supportantes invicem, & donantes vobismetipsis si quis adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.

14. Super omnia autem haec, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis:

15. & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore: & grati estote.

16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos, \* psalmis, 19. hym-

† SABB. SANCT. EPIST.

\* Rom. 6. 4. Ephes. 4. 22. Heb. 12. 1. 1. Petr. 2. 1. & 4. 2.

\* Gen. 1. 26.

\* Ephes. 6. 11. † DOM. 5. POST EPIPHAN. & 26. POST PENTEC.

\* Ephes. 5. 19. hym-

hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.

\* 1. Cor. 10. 31. 17. \* Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.

\* Ephes. 5. 22. 1. Petr. 3. 1. 18. \* Mulieres subditae estote viris, sicut oportet, in Domino.

19. Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.

\* Ephes. 6. 1. 20. \* Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino.

\* Ephes. 6. 4. 21. \* Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.

\* Tit. 2. 9. 1. Petr. 2. 18. 22. \* Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculos serviennes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum.

23. Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus:

24. scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite.

\* Rom. 2. 6. 25. \* qui enim iniuriam facit, recipiet id, quod inique gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.

CAPUT IV.

Dominis benignitatem in servos; omnibus perseverantiam in oratione; sermonem sale & sapientia conditum commendat.

1. **D**omini, quod iustum est & aequum, servis praestare: scientes quod & vos Dominum habetis in caelo.

\* Luc. 18. 1. 2. \* Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione:

1. Theff. 5. 17. \* Ephes. 6. 19. 3. \* orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vincus sum)

2. Theff. 3. 1. 4. ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.

5. \* In sapientia ambulante ad eos, qui foris sunt: tempus redimentes. \* Ephes. 5. 15. & 16.

6. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.

7. Quae circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino:

8. quem misi ad vos ad hoc ipsum ut cognoscat, quae circa vos sunt, & consoletur corda vestra,

9. cum Onesimo charissimo, & fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quae hic aguntur, nota facient vobis.

10. Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, & Marcus \* consobrinus Barnabae, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum: \* De quo Act. 15. 37.

11. & Iesus, qui dicitur Iustus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.

12. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Iesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.

13. Testimonium enim illi perhibeo quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiciae, & qui Hierapoli.

14. Salutat vos \* Lucas medicus charissimus, & Demas. \* 2. Tim. 4. 11.

15. Salutate fratres, qui sunt Laodiciae, & Nympham, & quae in domo eius est, Ecclesiam.

16. Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur: & eam, quae Laodicensium est, vos legatis.

17. Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.

18. Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.